

ooch

1978

L

1637
(34)

DE
PHILOSOPHIA INTERPRETIS
argumentum



ZIZAE

Litteris Huchonianis.



DE
PHILOSOPHIA INFERRETTIS
MAGNIFICENTIA



Kapsel 78 L 1637 [34]

AK

LIBRIS
Litteris Historicis



VIRIS

ILLVSTRI BV S GENEROSISSIMO

EXCELLENTISSIMIS

DN. IO. CHRISTOPHORO SCHMIDIO

I. V. D.

SERENISS. PRINCIPIS S. R. I. ET DE FONDI

COMITIS MANSFELDENSIS

CANCELLARIAE DIRECTORI

DN. CHRISTIANO FRIDERICO

STIEGLEDERO

DN. GOTTLIEBIO A MVNCHHAVSEN

DN. HEINRICO GVILIELMO

SCHMIDIO

EID, PRINCIPI SERENISS. A CONSILIIS

AVLAE CONSISTORII ET

MINERARVM

VIRIS DE MVNERIBVS HIS GRAVISSIMIS

IMMORTALITER MERITIS

PATRONIS SVIS SVMMOPERE COLENDIS



VIRIS
ILLUSTRIBVS GENEROSISSIMO
EXCELLENTISSIMIS
DN. IO. CHRISTOPHORO SCHMIDIO
L. V. D.
SERENISS. PRINCIPIS S. R. I. ET DE FONDE
COMITIS MANSFELDENSIS
CANCELLARIAE DIRECTORI
DN. CHRISTIANO FRIDERICO
STIEGLERBO
DN. GOTTFRIEDO A MÜNCHHAUSEN
DN. HEINRICO GUILIELMO
SCHMIDIO
H. D. PRINCIPIS SERENISS. A CONSILIO
ALAE CONSISTORII ET
MINERARVM
VIRIS DE MERITIS HIS GRAVISSIMIS
IMMORTALITER MERITO
PAT. OMN. SVB SVMMO RE. COLLEGIIS



DISPVATIONEM HANC
CVMSALVTIS EXOPTATISSIMAE APPRECIATIONE
SVBMISSA MENTE

D. D. D.

M. FRIDERICVS AVGVSTVS WEND
SEEBVRGO MANSFELD.



DISSERTATIONEM HANC

CAMERACENSIS EXOPTATISSIMAE APPRECIATIONE


PERMISSA MENTE

D. D. D.

M. FRIEDRICH AUGUSTUS WEND

RECTORI PRaesentat





DE PHILOSOPHIA INTERPRETIS.



Andem Tibi faciunt satis, dulcis Patriæ amor, fata, et cum sibi satisfactum esse vident, post longos decem annos, ad felicissimam Mansfeldiæ rura parare reditum iubent. Sic erat in votis, non pueriliter conceptis, nam pueris solet, ubi Patria non est, neque bene esse, quem errorem cum lacte nutricis omnes suximus, nisi potius in hoc providentiæ beneficium in abditissimis etiam latebris suis spectatissimæ lateat: Bonum igitur patriæ, eiusque salutis publicæ prospexit, quod per naturam statim filios instruxit, ita, ut colere non solum manibus, sed ingenii etiam, omnisque generis viribus, in tempestatibus, et periculis consilio adiuvare, in bellis defendere patriam eo melius possint, quo magis præ aliis omnibus debent, quoque libentius per naturalem officii sui sensum ipsi volunt; nam quis non pro patria mori non timidus? aut procurare ejus res quis non facile paratus? Atque hoc mihi est in paterno consilio ad penates redeundi dulce! Non profecto videre patriam — iucunda quoque mentis cogitatio; sed quomodo procul a patria, Halæ nimirum in scholis inferioribus & superioribus per sex annos a me frequentatis, aut Lipsiæ, quam longe etiam a patriæ finibus abiacet, Cizæ demum adibus TELLERI, Præceptoris maximopere colendi, dulcissima ejus imago, abesse potuisset? Longe alia & religionis causa est. Revocat me pietas, cuius prima lex est, a quo vires totamque vitam accepimus, ut a Deo & patria, in eius etiam usum id omne quod in nobis est convertendum esse. Attamen non simplex hæc, sed alia,

A

æque

æque gravis eam adauget. Habent quidem ejus generis PATRONI, quales in MAXIMIS VESTRIS PERSONIS Viri ILLUSTRISSIMI, atque Summe VENERABILES providentia mihi concessit, longas manus; interim ut sol radiis suis terræ superficiem collustrans melius beneficia sua oculis nostris repræsentat, quamvis si occiderit, mente etiam assequi ea possumus, ita in Patrociniū VESTRI visione, ad quam præsentem esse oportet, plus est quam in ejus hæcenus admiratione. Videre enim est, eo frui. Totum igitur me, resque meas omnes huic tradendi animus est, in quo non tam audacter, quam iuste facere videor. Deus enim omnium bonorum, inter quæ gratiam VESTRAM præcipue numero, auctor sic voluit, ut ab anno inde XLVII, hoc est ab ipso vitæ meæ initio, per quæ ortum ejus, ius aliquod acciperem Gratiam VESTRAM longe lateque commendatissimam non tam postulandi, nam quomodo postulari potest, quod *Tantum Virorum* sapientia, et arbitrio totum subiacer, sed præ multis aliis etiam mihi expetendi. O mihi cara, et nunquam satis laudata Providentia. Natura mihi patrem Optimum dedisti Ioachimum, animo et natura EOS, quos, qui habent non satis admirari, et qui non habent non satis desiderare possunt. Serva, hoc unum precibus meis reliquisti, serva Patronos, Bone Deus, quos dedisti, et quos dare melius non poteras. Et si meæ precibus Tibi non sufficiunt, nam quis ego tandem sum! ut meis precibus ad tantum beneficium omnem omnino tribuere possim efficaciam, — fac exorari precibus eorum omnium, a quibus in tanta reipublicæ, tam quæ salutari causa temere rogari non facile pateris, *hova pirofioy qvoldi ni anditv thensy vynatimo qmuis longui bol audiam inulot non metuas pablu ab alio te puvande ollone zllongiq te audiat qvoti autmodi* Quid tamen cessat animus, et longa præfatione a consilio adeo aberrat? Nolo enim, neque licet absque omni commendatione — vtinam vero aliquid in me esset, quod me tam divini ingenii Viris commendaret! — certe non sine ingenii mei, si quid in me est, testimonio in conspectum Vestrum venire. Diu itaque multumque de eo cogitavi, non tam an liceret, ut aliquis in hac sua causa ipse testis esset, sed potius quomodo feliciter, et ex votis ego ille esse possem. Tandem mihi visum est Gravitati VESTRÆ aptissimum scribendi consilium, quod iudicii VESTRI timore non perturbatum aut molestum factum, sed misericorditer adiutum est, quod certo scio, humanitatis, hoc est imbecillitatis meæ cogitatione Gratiam VESTRAM mitigari. Sed quid scriberem non facile videbam, in quo aliquid novitatis esset, aut alius generis pretium. Diu profecto incertus, tantum

supra

tantum

tantum litterarum campum peragrans, ubi pes esset figendus, sentiebam cum dolore ingenii mei angustias, in quas non cadit, afferre aliquid, quod a nemine tractatum, et omnino adhuc incognitum est. Post longam tandem hæsitacionem placuit mihi hoc argumentum ex multis aliis, de *philosophia interpretis*, in quo rite pertractando eo feliciter mihi successum fore existimabam, quo propiorem habet cum illa disciplina, in cuius scientia acquirenda semper omni studio elaboravi, conjunctionem. Non mirabor si acciderit mihi, quod accidere, in laudabili etiam negotio aliis facile solet, ut a nonnullis fortasse reprehendar: sed quid liberum ab omnium reprehensionibus, et ad omnium animos ita potest esse accommodatum, ut neminem offendat. Interim multum effecisse putabo, si, quod in votis est, Vobis, VIRI OPTIMI MAXIMI, aliquo modo ingenii mei vires probaverim.

Quod autem de *philosophia interpretis* a me disputabitur, non sic accipi volo, ac si alia interpretis philosophia esse debeat, quam quæ in scholis ad communem omnium disciplinarum usum — faxit Deus feliciter! — docetur; sed in eos tota disputatio dirigitur, qui, quid philosophia in interpretis munere efficiat, an *ornet* plus, quam *iuvet*, et quid afferat, noceatve potius, non vident. Et quomodo videre possunt usum unius disciplinæ, et vim, qui ignoracione ejus quam turpiter laborant, ideoque uti ea commode, ut oportet ipsi non possunt? Atque hi sunt, qui dicunt: *interpretem non debere philosophari*. Audio; et quamquam omnia sunt timenda a philosophorum deliriis, — nam quid est tam absurdum, quod non ab uno philosopho creditum fuerit! — tamen philologiam inde non timemus. Tota enim philosophia in philologiam mutata est: bene dormit, et ubi esse videtur somniat. Non nimio philosophiæ amore, si nimis amari sapientia, et rerum humanarum diuturnumque studium potest, in hanc erroris deducimur opinionem, ut *primum* locum dare in interpretationis munere philosophiæ velimus, neque vero possumus *dare ultimum* aut *plane nullum*. Quid te immiscere audes inter pavones gracule superbe? quid te in philologiam bona, inquirunt, philosophia, quippe quæ ad linguarum inventionem culturamve parum, aut nihil profusus fecisti. Cede maiori! Melius meruit de linguarum causa gustus. Hæc non de nostro sunt, sed ex *Battei* libello: *de summo principio bonarum artium*. (vid. p. m. 269.) Quasi non in usu lingua-

rum aliquam, immo vero magnam vim ostendere posset, quod nullam habuit in earum inventione aut cultura. In quo ipso adhuc quæritur, quod petunt. Vehementer errant, qui gustui omnem laudem dare in sermonis elegantis solent, neque potius philosophiæ, cuius legibus et disciplina gustus ipse regitur. Est quidem elegantia in verbis, sed non per se, sed per res demum, et mentis cogitationes quæ verbis subiacent. Unde fit, ut linguarum sæpe peritissimi a paucis cum voluptate legantur, si vel exquisitè scribant, aut loquantur: Sunt verba, prætereaque nihil, et sine mente sonus. Pulerum caput, sed cerebrum non habet. Nos quidem in hac sumus opinione: Omnem verborum vim atque ornatum a ratione eiusque cultura, et cogitandi forma venire, eumque qui bene cogitet, non facile alium, bene loqui, et scribere posse. Unde vero, quæsumus, bene cogitandi potestas? hoc est, non lepide, ut temporum nostrorum Plautinorum et Terentianorum mos est, sed ut rerum et veri satis insit, si Philosophiæ cui sola debetur, hanc laudem non concesseris. Age mittamus hoc, cuius uberior demonstratio in libris rhetoricis locum suum habet. Iam nihil dicere de communi philosophiæ usu, eo etiam loco, quo non facile apparet, non poteramus, ex quo argumentum de eius etiam in interpretatione potestate probabiliter efficitur. Interim in hac probabilitate non acquiescimus, sed quanto iure interpretis conatus facilius, immo vero feliciter, id ex ipsius interpretationis natura, vel ex divino philosophiæ beneficio, additis ubi oportet exemplis, breviter demonstrabimus.

Nulli in Europa famulorum non est ista quoque in philosophia et in scriptis
meritoque in scriptis. Iam quibus vult non videretur: in omnibus
de re.

Primum videamus de definitione regulæ: in interpretatione non philosophandum esse, ne latitudine sua sensum et usum suum amittat. Qui non ultra versionem patriam sapiunt, nam de sacro interprete loquor, ex eaque omnibus in locis mentem divinorum virorum, male quidem, hauriunt, recte dicuntur male philosophari. Atque hos si spectaveris, in interpretatione philosophari, est *ratiocinari* quid in mente auctoris et in verbis esse potuerit, ratiocinari vero sic ut ingenio suo absque linguarum ratione habita utantur. Vitium igitur, ut facile vides, non in ipsa ratiocinatione, sed in modo est, quo fit, ut tandem, quod sibi placet, interpretis in sacro loco inveniatur, et sensum ut in scholis loquuntur in textum per anticipationem inferat. Sed interpretis prima statim regula est: Non inferre sensum sed videre. Attamen hi, qui sine versione interpretes non sunt, adeo indocti sunt, ut mitti a nobis potius, quam longius prehendi mereantur.

antur. Alios aggredi, & eos qui magis latent, animus est, eos nimirum qui codicum fidem suis ratiocinationibus, & suo in interpretatione philosophandi modo laedunt, inter quos omnes fere Anglos interpretes, si discefferis a Viro doctissimo Kennikoto, numeramus, inter omnes vero facile primum locum Peircio, viro valde ingenioso dare possumus, qui non curat, — nam philosophus ut in voce est non curat; — omnes, si Alexandrinam & Arabicam exceperis, versiones & codices aliter legere: sic vult et iubet legere (hymn: David: XL) *לֹא יִזְכָּר אֶת הַדָּבָר כִּי יִזְכָּר*, ut opinio sua de sensu horum verborum locum obtineat. Pariter *ὁ δογματικὸς* in interpretatione male philosophantur. Nihil dicam de eo, quod in *δογματικαῖς ἐρμηνευτικῆς* semper *ὑπερον προτερον* sit, quippe quod locorum sacrorum sensus, non ad doctrinarum factarum fidem transferatur, sed ex libris dogmaticis vice versa ad locos quosdam sacros vi trahatur, id quod in mente quisque, & præconcepitis opinionibus, aut in locis suis theologiacis habet. Quod vitium duplicis generis est, Vnum ab *ἐπεροδοξίας* nimia formidine apud eos venit, qui nullibi libere sentire theologum debeje, neque dicere, quod a beatis patribus non dictum est, opinantur. O beati patres, ter et amplius, qui quod homines fuerint non facili errandi periculo experti sunt. Et beatiores vos, qui in honesta religionis et pietatis simulatione habetis, quo ingenii imbecillitas dissimuletur, aut supina quæ subest negligentia excusetur. Alterum eorum est, qui non intelligunt quid sit? *καὶ ἀναλογίαν ἰης πίσεως* interpretari, sed putant esse, ex libris dogmaticis & locis fidei, ubi pro *καὶ*, *ἐξ* in mente habere videntur. Quis vero est, qui ignoret, hoc per se consequi, ut fides nostra inconcussa maneat, si libros sacros ex se explices sic, ut obsecuriora eorum et dubia loca ex elarioribus & apertis hoc est *ἀναλογίως* sive, *κατ' ἀναλογίαν ἰης πίσεως* interpreteris. Vnde etiam Agustino interpretatio *καὶ ἀναλογίαν ἰης πίσεως* est constantissima, a constante scripturæ sacre sententia, & unus locus, inquit, sic explicandus est ut cum omnibus consentiat. — Alius vero si hoc interpretationis genus repetas, eiusque constantiam & auctoritatem, invenies venire ad *ἐνοητι* auctoris, qui non facile secum pugnat, et verborum suorum optimus interpret est. Et sic interpretatio *καὶ ἀναλογίαν ἰης πίσεως* est genus autentice interpretationis. Recte igitur eiusmodi interpretandi, aut in interpretatione philosophandi modus, ubi plus ingenii, atque imaginationis, quam eruditionis, et patrum theologiam, sine omni linguarum,

aut historię etiam peritia interpretis affert, plus nocet quam prodest, & interpretatio aut ingeniosa, aut pia magis, quam vera & probabilis inde efficitur.

Sed longius progrediamur, & posteaquam satis a nobis concessum fuerit illis, qui philosophiam omnem exterminare interpretis regionibus propter malum usum volunt; iam Philosophię etiam dabimus quod postulare in hac disciplina, ut in reliquis omnibus potest. Si nomen ejus audiveris, per hoc ipsum se adeo commendat, ut temere tuis reprehensionibus laudi ejus vel hoc loco detrachere aliquid tentes. Aut dic quæso, abesse ab eo sapientia, & ratio bene culta potest, in quo, quid possit ratio ostendere debet? Affer sensum communem! facilis adhuc ad communia vitia lapsus: nam errare humanum, hoc est commune vitium. Fac politioem, aut si mavis subtilioem, tunc interpretatio tua eadem, polita & ab aliorum vitiis purgata erit. Immo subtilis! Dabo. Nam *subtilis interpretatio* est ea, quæ abditissimum etiam sensum per regulas veri attingit. Est igitur subtilitas in interpretis oculis & mente, quam a sola philosophia accipit. Quo longius videt oculus corporis armatus, eo longius quoque mentis oculo interpret, qui per sapientię regulas subtilior factus, & per cautiones eius contra omnes vitiorum impetus armatus est. Mihi quidem semper placuit illud Bucani (in Anal: locorum theol: p. m. 44.) Interpretem simpliciter historicum & bene litteratum, neque Dialecticum simul, corporeum esse, eum quidem videre quod *extra* sit, non vero quod *intra* sit. Quod sic accipio, interpretem ἀφιλοσοφον scire quidem quod in verbis sed non quod in mente auctoris est.

Hoc vero quod dicit: *extra*, nos simul commonet, totum nostrum argumentum pro philosophia interpretis, quo usi hæctenus sumus, & quod a nomine petitum est, externum esse, & valorem eius fortasse non sufficere iis, qui errore præoccupati sunt de eius periculo. Altius igitur in utriusque disciplinæ naturam et mutuam conjunctionem penetrabimus, quam quia a natura venit, *naturalem* nominamus, propterea, ut statim appareat, ipsam naturam rerum perturbari ab iis, qui separationem philosophię, & interpretationis faciunt. Id quod interpretem absoluit,

absolvit, et in quo totum ejus munus positum est, vel *explicitio* locorum sacrorum, vel *applicatio* eorum ad certum quoque loco usum esse videtur. Atque in utroque vim suam philosophia demonstrat. Primum de explicatione videamus. Facilis res esset, si omnibus in locis sensus tam apertus et luculentus esset, ut ex litteris statim, modo oculos aperueris, et primo statim eorum intuitu, in eos caderet, neque tam saepius lateret, ut ratione, atque multi studii penetratione ad inventionem eius opus esset, quod tamen inventionis genus non illud est, quod ab imaginatione venit, quippe quæ aliquid videt, ubi non est: sed a *ratiocinatione*, quæ scrutatur, & ubi alii parum aut nihil vident, verum sensum eruit. Quid iuvat ad spectus! Salva res est: Habet grammatica, ut ait Quintilianus, in hoc etiam negotio plus in recessu, quam in fronte promittit, habet etiam philologia & historia, sed quid tota grammatica, & philologia, & historia, absque arte Hermenevtica? Aut quid iuvat materia? quid materiae congeries? absque instrumentis quibus efformatur & tractatur. Ita enim se habet: In philologia grammatica & historia *materiale*, quod in scholis dicunt interpretationis est, in hermenevtica & philosophia tam *instrumentale* quam *formale*. Iam adde quod in metaphysicis est: Forma dat esse rei: Ergo philosophia idem dat interpretationi, hoc est absque philosophia nulla est interpretatio, Id autem quod hermenevticæ arti tribuimus, venit ab ejus cum philosophia intimo & ramuli quasi nexu. De Critica nihil dicam, quæ multis nominibus confunditur, Plerisque tota & ipsa philologia, mihi vero studium lectionum, & variarum codicum collatio quæ cum iudicio & deliberatione fit, ita dicitur. In hoc vero porro, quod cum iudicio fieri debet, totus labor Critici, & ab hac confusione diligenter cavendum est, ne unius generis Criticam esse existimemus. Vnum Poetarum & Oratorum, elegantiorumque litterarum est, in eoque plus laborat ingenii felicitas, & quam natura concessit, facilitas tangenti quid ad delectationem & voluptatem iuuet, nec ne? quid pulcrum sit, aut minus? cum celeritate aliqua, si vel non videas cur, aut in quo sit, sentiendi: quam facilitatem, & sensus celeritatem gustum nominaverim, est que modus tangendi in sensu interno. Hoc vero genus nihil pertinet ad interpretem, cui non objectum est pulcrum, sed verum. In altero igitur genere sua res agitur, quod huius loci est, nimirum in eo, quod ex codicibus & variis lectionibus diligenter congestis, & collatis de vero auctoris & viri divini sensu iudicium probabile fit. Satis habeo, Nam iudicare non vulgariter, sed probabiliter philosophiæ munus est,

est, sibiqve, vt patet arrogat, ut in hoc *Critica* genere in quo conatus suos, suumqve ingenium adeo multi experiri volunt, feliciter interpretes progredi possit. Hoc latius patet. Nam *grammatica* etiam in tota explicatione nihil amplius valet, quam quod materiam iudicandi de sensu, & hoc afferat, quinam verbis subiacere quoque loco possit. Afferit igitur plures sensus, & obruit saepe interpretis mentem, probabilitatem vero unius, qui auctoris, dum scriberet, fuit, hoc est veri, electioni interpretis, non libero arbitrio, sed iudicio regundae relinquit. Vnde in terminis sensus *grammaticus* recte a sensu cuiusque loci *logico*, distigui solet. Grammaticus est *possibilis* logicus est *probabilis*. In quolibet loco sensus suam probabilitatem per se habet, quam *obiectivam* dixerim, eaque est in argumentis, quae vero ad interpretis munus non sufficit, huius esse debet maxime *subiectiva*, quae in argumentorum inter se collatione, *ponderis* quod in singulis est, atque valoris sensu & perspicuitate conspicitur. Atqui ponderare argumenta, eorum vim intelligere, aliisque ubi oportet, demonstrare, non *grammatica*, quae non iudicat, non *philologia*, quae non demonstrat, sed *rationationis* & philosophiae est. Stat sententia, de usu philosophiae in *explicatione*, modo ex his quae a nobis disputata sunt ipsam explicationis naturam recte intelligas. Non ad mentem auctoris modo, sed ad interpretis maxime mentem referenda est, qui colligere argumentorum multitudinem & explicare eorum vim, & unde vim suam quod que habet, *regulariter* debet. Quod iis qui nondum penitus intelligunt, neque a priori, & ex disciplinarum natura, quod a nobis haecenus disputatum est, vel in uno exemplo quod ex scholis Vener: TELLERI Praeceptoris Optimi, eiusque locis theologicis Manuscriptis in manibus habemus, demonstrabimus. Solebat in scholis suis docere non per verba solum, sed mathematice etiam, & per litteras & numeros, in quo docendi modo, cum vox viva accederet, tam luculentam expertus sum perspicuitatem, ut adhuc audio, doctrinae Tellerianae perspicuitatem a multis desiderari. — Exemplum quod afferam est de locis classicis, quae quidem non per litteram, *ναὐὰ το ἐπιστολῶν* quod dicunt, neque per se, & simpliciter, sed *harmonice* comprobant, quod probandi genus eo continetur, quod unum fidei Christianae locum ponas, quae *positio* dicitur *Hypotesis*. Hoc posito deinde adducas varia loca scripturae sacrae, & videas an cum his locis doctrina, & vice versa, conveniat. Quare haec loca habent vim *phenomenorum convenientium*, ut Logica loqui amat. Accipe exemplum ex loco theologico de *Trinitate*.

Trinitate in quo exemplo potestatem philosophiæ etiam in applicatione locorum sacrorum tibi suppeditabimus. Ponamus Trinitatis doctrinam, et sit Hypothesis — \mathfrak{X} . Videmus Deum de se ipsum loqui in numero plurali $\text{נִרְאָה לָנוּ} - \text{נִרְאָה לְנוֹ} - \text{נִרְאָה לְנוֹ}$ Genes. I, 26, pariter Elai, VI, 8. וְיִי לְנוֹ Singularis locus simplicem habet probabilitatem — a — hinc producitur $a \neq b$. Singuli vero loci sacri cum doctrina posita, convenientia denuo vim argumenti habet Φαινομενικῶν , quæ bis sumta iterum facit $a \neq b$. Horum igitur locorum probandi vis harmonica magnum pondus habet, est enim $a b \neq a b = d$ unde producitur. $\mathfrak{X} \neq d$, Accedit ad hanc locorum sacrorum formam quod Deus loquatur de Deo. Novum phænomenon conveniens cum \mathfrak{X} . Genes, XIX, 24. $\text{יְהוָה ה' רָמַת יְהוָה}$ — Exod, XXXIV, 5, 6, coll. XXXIII, 18. $\text{כְּבוֹדךָ} - \text{הַרְאֵנִי נְאֻמָּה} - \text{כְּרַאתִי בְשֵׁם יְהוָה לְפָנֶיךָ}$ Ebr. I. — nec non $\text{ἀπαγγαγμα τῆς δόξης σου}$. Ebr. I. — $\text{κατακλιθῆς τῆς ὑποστάσεως μου}$ — personæ, sive maiestatis meæ. Hesychius $\text{ὑποστάσις, προσώπων}$ — quod ὄνομα est, nam sic aperte summa et divina maiestas dicitur — $\text{ὄνομα τοῦ ὑπερπανόνομα}$ — Ppilipp, II, 9. — Ex his locis per se efficitur argumenti vis — d — & si conferas cum iis quos antea laudavimus fit $d \neq d$ et sic habes $\mathfrak{X} - i$ — Quod si addere reliqua huius generis loca classica velis, ubi ter repetitur nomen Dei — ubi Deum nomine pluralis *numeri appellatum* invenies, Eccl. XII, 1. Ps. CXLIX, 1. Ies, LIV, 5. — cum verbo in singulari numero, aut in numero plurali, Genes, XX, 13. Ps. LVIII, 12. — tandem cum adiectivo in eodem numero posito, accipis inde, si quodlibet horum locorum genus simpliciter numeres, productum argumentum;

$$\mathfrak{X} \neq i \neq c = = \mathfrak{X} \neq m$$

In explicatione hoc modo accipis per vim logicæ artis — m — in applicatione dogmaticis accipit — \mathfrak{X} — Quod qui non vident, afferunt quidem in dogmaticis libris non nullum locum ex his laudatis, sed in usu & demonstratione hærent, unde fit, ut dubii potius, quam certi vel ipsi de fide et auctoritate eorum sint, vel alii fiant. Ad ea, quæ hæctenus de philosophia interpretis in applicatione simul disputavimus, pauca adiiciamus. Ista omnia pertinebant ad applicationis genus quod *dogmaticum* nominaverim, hoc est ad usum locorum classicorum, & interpre-

B

tem



tem in scholis, et satis consilio nostro factum esse putavimus, si in eo genere horum locorum philosophiæ utilitatem ostenderemus, in quo paucissimi satis periti sunt. Nam quod in universum adhuc de locis κατὰ τὴν διαίωσιν dici a nobis posset, eo superfedere possumus, cum ipsum nomen appellamus, et ubi sacri interpretis res agitur. Dogmatici in interpretatione obiectum mens auditoris est, in eoque laborat, ut mentem auctoris in auditoris mentem transferat: oratoris obiectum latius patet, neque mentem solum modo instruere, sed commovere etiam corrigere animum, & meliorem reddere debet. Ad quod feliciter efficiendum, non solum versari eius explicatio in *verborum* sed in *rerum* potius sensu debet. Iam vero idem quod de arte *ἐγμνευστικῆ* antea diximus dicere de rhetorica possumus. Et profecto tam lectione, quam meditatione experti sumus, cum demum interpretem sacrum in disponendis et elaborandis sermonibus sacris felicissimum esse, qui non pauperis horti custos in philosophia, et præcipue in metaphysicis bene versatus et exercitatus est, ex quibus, nam inest pars philosophiæ *materialis*, comparare sibi hoc potest, quid sæpe & quomodo de rebus sacris peritorandum sit. Dicit aliquis: Recte vero, in locis quæ cum theologia naturali aliquam conjunctionem habent. Etiam in his, sed non subsistit hic metaphysicorum in sermonibus sacris usus. Paucis demonstrabimus eius ubertatem. Etiam adiuvat in locis purioribus et rationi non subiectis oratorem, qui quamvis in terminis *οντολογικῶν* loqui non debet pro concione populari, sed populariter & ornate, tamen neque populariter potest, absque ontologia intelligentia. Ex hac enim terminos nostros in libris dogmaticis, quos a patribus accepimus, maxime habemus. Bene igitur se habet, oratorem non debere uti terminis *τεχνικῶν*, neque cum his loqui oportet, tamen de rebus quæ in terminis sunt exponere. Qui vero terminos in scholis Metaphysicorum intelligere non didicit, longissime etiam ab ipsarum rerum intelligentia abest. Accipe quæso exemplum. Erraverunt omnes fere adversarii in exemplis, per quæ unionem *ὑπαστάλην* illustrabant, atque ex horum exemplorum usu omnis confusio orta nobis videtur. Totam rem non a *priori* ex terminis, sed ab exemplis statim & a *posteriori* spectabant. Iam non videbant, omnibus exemplis a natura rerum, variisque conjunctionum generibus desumptis nihil confici amplius quam quod *necessitas inseparabilitatis* illustraretur, nam in rebus rationi subiectis videmus etiam tam sæpius necessario coniunctas esse, et essentialiter, v. g. in homine corpus et animam, in men-



in mente vires et subiectum, in animo subiectum et voluntates, in toto partes, & sic porro, ut per separationem, ubi feceris, desinat esse homo — mens — animus — totum. Iam fiat applicatio. Sed cave ne in adversationum vitium delabaris, & horum exemplorum usum ultra *necessitatis* illustrationem, neque ad ipsum explicandum modum unionis extendas. Nam cum non habeat in natura hæc *εἰς ἴσιν*, a quo unio dicitur, sibi similem, coniunctio, quomodo *modum* ipsum naturæ exemplis poteris demonstrare? Vides igitur oratori hoc tantum a metaphysicis, quæ de variis unionis generibus exponunt, relictum esse, docere exemplis, qualis unio *ὁμοειδῆ* non sit, doceat hac v. g. ratione: Non est naturarum, in redemptoris nostri O. M. persona eiusmodi, qualis partium in toto, animæ & corporis in homine, mentis & animi in spiritu cett. Per quod fit erroris a vero separatio, ut demum negatis omnibus falsis opinionibus ad veram nostræ ecclesiæ sententiam mens auditorum quantum fieri potest, adducatur. Sed uude hoc? Nonne ex locis sacris interpretes habet? Rem quidem, sed non rei explicationem. Hunc explicandi modum a philosophia habet. Quare non mirum ab eo adeo multos abstinere, cum in philosophia adeo hospites sint. Non *Saurini* facile, non *Crusii* non oratores, qui propter id ipsum, quod *obscuritatem* horrent, rem cum usu rationis per philosophiæ studium exultant, et religione simul instructam explicare, inque eius intimos recessus penetrare student. Non acquiescit populari tramite, dixisse *hoc est*, sed longius progreditur horum oratio; *Sic*, Auditores, est, atque *sic* non est. Tandem habet non solum ontologia *Metaphysicorum* usum *materialem* in concionibus sacris, sed habet etiam *instrumentalem*, quem plerique in sola logica quærent. Minime vero. Etiam in ipsa rerum explicandarum dispositione mirifice suam vim et potestatem exerit. Vnde enim tota quæso rerum quoque loco dicendarum inventio? Perfecto non a dialectica, quæ dicenda, si habes, certo ordine, & suo loco quæ quæ collocat, & *ordine quidem accuratam*, sed non semper *suo loco aptam*, aut rei conformem facit dispositionem. Hinc sermones B. L. sacri, iusto & legibus principis ecclesiasticis longiores! Dicunt enim multi, quod de aliqua re dici *potest*, non quod dici propter temporis angustias, aut loci rationem, aut ipsam rei naturam debet. Quod tamen vitium simul ab abstractionis modo venit. Inde porro vulgares, & per vulgaritatem suam tædiose factæ dispositiones; Primum dicemus: *quid sit* — deinde *quod sit*. — Nuperrime audiui duos *TELLERI*, egregii oratoris, sermones sacros, quorum exemplum id omne quod adhuc in

mente, & de metaphysicorum usu in ipsa dispositione sermonum sacrorum, non solum cum ordine, sed cum delectu etiam & iudicio facienda, dicendum habeo. Unus erat super loco hymni davidici XLIX, 8. 9. de magno pretio passionum Servatoris nostri recte aestimando. Tota dispositionis inventio metaphysica, hoc est per totum sermonem habebat in oculis, magnitudinis notionem esse *relativam* ideoque ex *comparatione* hoc pretium esse demonstrandum, & auditoribus depingendum. Porro videbat, de pretio rerum itidem ex relatione ad mentem unius, aut plurium iudicandum, & ex relationibus *finis* aut *medii*, aut tandem *remedii* esse aestimandum. Erat igitur dispositio hæc: Magnum est pretium passionum servatoris nostri si spectaveris I. Naturam consilii & *finis* redemptionis & expiationis II, naturam *medii* ipsam. Non poterat — — — iam non facile a loco sacro, neque a re de qua dicendum est, aberraveris. — Alter, ut de aliis nihil dicam, habebatur super Matt. XXVI, 46, de *Μεγαλασωνη* servatoris nostri in passionibus. Quod non statim vides in textu. Sed hoc ipsum erat ad rem dicendam transitio: Nimirum quod si — in quibus, in eiusmodi locis hæc servatoris virtus demonstrari potest, in quibus paucissimi eam vident, et a quibus longissime abesse videtur, quis porro audebit eam, ubi non statim videt, negare. Inventionis vero artificium erat hoc, quod personam *physice* considerari posse, & *moraliter* viderat, atque ex hoc duplici visionis puncto veniebat dispositio in I. *μεγαλασωνη* personalem, sive *ὑποστατικη* (personliche) & moralem (Sittliche.) Et quam parum ab utroque iterum aberraverit, ipse B. L. videbis si primum concionum Tellerianorum volumen proxime in manibus habebis, quod inscribitur *dogmaticum*.

Iam satis dictum de philosophiæ interpretis argumento, ad illustrationem existimamus. Ad Vos PATRONI OMNIUM MAXIMI atque GRATIOSISSIMI regreditur mea oratio. Nihil magis in votis habeo quam hoc, ut labor meus VOBIS non omnino displiceat; nam hæc ingenii mei probatio, quæ TANTIS VIRIS fit, omni profecto laude est superior: et quibus quæso prudentibus, ingeniosis, atque æquis lectoribus placere non poterimus, si VOBIS non omnino displicuimus.

A D

VIRUM MAGNIFICUM ATQVE SUMME VENERABLEM.

CHRISTOPHUM ANTONIUM
FRIDERICI

EPISTOLA

IOANNIS FRIDERICI TELLERI

Vir Magnifice



He sunt vitæ meæ academicæ, et disciplinæ reliquiæ, quas
eos magis in deliciis habui, quo iucundior mihi adhuc in
otio, quod mihi Deus fecit, illorum temporum alta mente
reposita recordatio est, solet enim præteriti boni recordatio
et imago iucundissima esse, ubi numerosam iuventutem, rerum divinarum,
humanarumque institutione ad rem publicam gratia divina mirabiliter ad-
spirante, preparabam. Ex hoc doloris mei argumento, facile consequi,
VIR MAGNIFICE, poteris, quantus sensus eius sit, quocum non tam
ex hospitio et ædibus meis, sed ex manibus potius, et oculis ut amicum,
Wendium meum, *Ioachimi*, verbi divini apud Seeburgenses Ministri fide-
lissimi, filium dimitto, in quo quid natura, si artis labor, et exercitatio
accesserit, efficere queat abunde expertus sum. Habet animum Zenonis,

B 3

cui

cui ignis videbatur, religioni nostrae nostris temporibus adeo frigescenti utilissimum, — agere semper, quod officii sui est, appetentissimum, — solutum et vacuum quasi a corpore in omni genere belluino voluptatum, quibus mens e sede sua et statu dimovetur — fortem denique et valentem, laboris molestia, ut saepe fit, tentari, perturbari, aut ab officio suo deterreri nescium: mentem praeterea acutam, praestantem, ingenio et eruditione ornatam. Atque haec animi et mentis indoles, doloris mei, quocum reditum suum, in patriam parare *Wendium* meum video, gravissime auget, nisi TVI, VIR MAGNIFICE, et omnium Patronorum Suorum Laudatissimorum representatio sua medicina gravitatem eius et offensionem mirifice levaret. Quamvis igitur vix crediderim opus esse, ut ad id omne, quod in se a Deo et natura habet, laudis atque commendationis aliquid de meo accederet, tamen, cum bene sciam, quam honorifice de me, rebusque meis iudices, non poteram hac bona scribendi occasione TIBI non palam declarare, quanti tam honorificum TANTI VIRI iudicium inter murmura vulgi faciam, qui omni meritorum, quibus summi Sacerdotes perficiuntur, genere ita excellis, ut sacrum divinorum Ministrorum ordinem Praesidio Tuo apud Tuos, apud omnes vero nomine, eruditione, scientia atque religione luculenter ornes. Tu profecto ille es qui sanctissimum Theologi nomen atque munus multis modis, imo omnibus quibus humanitas *πνευματική* potest, ornas, sanctiusque facis. O rara virtus! utinam lucidissimi et divini Tui exempli admirabili splendore, et facta imitatione efficeretur, ut querela tandem nostra de paucitate et raritate eorum, qui TIBI VIR SUMME VENERABILIS, similes sunt, obmutesceret, eoque docerentur alii, Theologi et Ministri sacri nobilitatem omnino ex ingenii animique probitate spectari. Triste sane spectaculum! quod sint, qui nihil afferant ad verbi divini praedicationem, quam simplicem et compendiosam tribus annis sibi comparatam rerum Sacrarum scientiam, et tam sterile ingenium, ut deinde sine libris docti non sint, eo tamen doctiores sibi quidem videantur, quo beatiore in iis magno sumtu et pretio congerendis. Sed deflectit a consilio animus, in quo habeo hoc, ut aliquas notas ad *Wendii* mei disputatiunculam de *philosophia interpretis* adiciam. Proposuit sibi uberrimum argumentum, quod vel ideo mihi placuit, quia tanti argumenti tractationem ingenium in quo nihil ubertatis est, non facile aggreditur: Pertractavit autem sic, ut in ipsa brevitate ostenderet, quid amplius dicere, si voluisset, poterat.

— Non

— *Non adeo rimendum philologiae.*) Ita est: Non abutuntur, sed male utuntur. Male philosophantur; Ergo omnino non? Neutiquam; sed non male philosophandum. Non omnino! Quid igitur facis in uribus? quid inter eos, quorum libidines & luxuria huius vitae, & terrenis bonis uti nesciunt? Nuper vix tenere risum potui, cum legerem, Lutherum nostrum, acerrimum philosophiae hostem se professum esse, & consilium Lutheri fuisse, *ut adolescens vitet philosophiam ut mortem anime suae*: — Recte, ipsa Lutheri verba sunt (II. lat. ed. Ien. 434.) sed totus locus est: „ *et theologiam scholasticam* „ philosophia enim quam Lutherus vitare iubet, est suorum temporum Philosophia, nimirum Scholastica: Placet ejus mentem ex aliis locis uberius explicare, ex quibus apparet, „ esse adhuc mutato nomine superstitem; „ *Theologia scholastica plane* „ *degeneravit in philosophiam quandam, quae nullam veram Dei cognitionem habet* „ (in Genes. I. Cap. VIII.) Quidquid igitur porro dicit, „ id de hac suorum temporum philosophia simul dicitur. Quid vero? „ *Quo tempore cepit theologia scholastica, eodem evacuata est theologia crucis, suntque omnia, plane perversa.* „ (lat. edit. 114.) „ *Quid aliud in theologia scholastica didicerint, ipsi viderint. Ego scio, & consteor, me aliud nihil didicisse, quam ignorantiam peccati, iustitiae, baptismi, & totius christianae vitae, nec quid virtus Dei, opus Dei, gratia Dei, iustitia Dei, fides, spes, charitas sit. Breviter, non solum nihil didici, quod ferendum erat, sed & non nisi dediscenda didici, omnino contraria divinis libris: — — Ego Christum amiseram illic, nunc in Pauloreperi.* „ (T. I. 303) *Hodie Evangelium sic traditur, ut a legibus et moralibus praecipis nihil distet* „ (T. I. 396.) Utinam nostris suspectae sane fidei temporibus de uno alterove philosophiae genere non idem dicere oporteret! Quid iuvat, o Beate Loefchere, tua tempora monuisse: *Qvo ruitis!* Irruit praevisum malum! imo obruit negotio cordatos Viros tamquam fluctu. — Quidquid philosophia vitio datur a viris bonis et sapientibus de ea valet in concreto, aut subjectiva quae in terminis dicitur, qualis in illo Hasmoneorum est: Maledictus sit, qui docet filium suum philosophiam graecam; hoc est de somniis philosophorum dicitur, a quibus in theologiam venit *καθη ἀπατη κατὰ τὴν παραδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ σοιχεία ἢ κοσμοῦ, καὶ ἔ κατὰ χριστον.* — Ut stoici κενης ὀησιouis ἐμπλεοι δισκοι

In libris vero N. T. *philosophari* est *sectari*, et *Φιλοσοφίας* nomine veniunt disciplinae, & *ἀίεσεις* Pharisaeorum, Sadducaeorum, & Essenorum, — *Locum*

„Locum ultimum dare non possumus „) omnino primum, „Atque ut iam ad leviora artium studia veniam, si musicus, si Poeta quaeratur — Cic. de orat. I. 49. —

„In rhetoricis et sermonibus sacris, Hoc pertinet ad interpretem pro concione, & oratorem, quem ex mea quidem opinione sola philosophia format et perficit. Vnde non plures hodie habemus quam Roma ante Tullium habuit, cuius temporibus demum philosophia excoli coepit. Antea erant oratores ubi philosophia erat, apud Graecos: Magnum argumentum historicum. Antea dixit *Wendius*, ornatum in dicendo maxime debere philosophiae. Consentio; nam perfecta philosophia est, quae de maximis quaestionibus copiose potest, ornate que docere, Cic. Tuscul. I. 3. De maximis quaestionibus — Non igitur ut leviter, de levibus. Nam confundunt leviter & populariter loqui, & sunt lucifugi in doctrina mysteriorum, quia terminum ad quem progredi ratio queat, aut praeter terminorum sonum de totis mysteriis nihil intelligunt. Sed pergamus in laude philosophiae, eiusque in rhetoricis usu. Debet orator uti verbis iucundis, & sententis ad probandum accommodatis in causis — communibus (Cic. I. 1.) Postquam sit in primis igitur sine philosophia non posse effici, quem quaerimus eloquentem, non ut in eo omnia sint, sed ut sic adiuvet ut *Palestra bistrionem*. — Nec latius nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. — Non vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: Nec iudicare quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam? de vita, de officiis, de virtute, de moribus? (Cic. Orat. IV.) Quid igitur efficitur sine philosophia, inquiet aliquis? quod a *Masilionio*, quem hodie exscribunt, aliisque effectum est: ut vel plus splendoris, quam gravitatis in oratione, aut ut, in illo, de utroque nihil sit. *M. Antonius disertus ait se vidisse multos, eloquentem neminem. Demosthenes unde factus orator? Quare Cicero: Ex eius, inquit, epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Id quod omne Theophrasti, Xenophontis, Aristotelis, & Platonis exemplis illustratum et satis comprobatum est. In orationibus plerumque sacris nihil nervorum, nihil aculei oratorii est. — Sedare animos, non incitare solent, docendi causa, non capiendi loquuntur. Vos qui legistis Ciceroem, cur*
non

non sequi placet? cur in verbis non in re? — Sed plura de hoc in libello meo de *summo principio eloquentia* docebo, Duumviris nostri Seculi in hoc genere sine dubio maximis, ut ex eorum iudicio, quod addam, apparebit, probatissimo. Ego quidem veram naturam eloquentiæ, quæ superfluum & stramineum ornatum fugit in paucis aliis æque ut in V. M. Crussi sermonibus sacris admiratus sum. Quod suo loco exemplis demonstrabitur. Addam tandem aliquid de religione interpretis sacri, quæ quam necessaria sit ex vi verbi divini *ὑπερφυσική* intelligitur. Qui auctores classicos, quos dicunt, bene interpretari volent, eos familiariter iis uti, et aliquam iis cum habere vitæ necessitudinem oportet. Ea est in lectio-
ne accurata et diligente, nam cum mortuis auctoribus aliam habere non possumus. Sed *ζῶν ὁ λόγος* Ἰη Θεὸς habet auctorem vivum Spiritum Sanctum, cuius in fidelium animis inhabitatio similem habet rationem cum familiaritate contubernalium, quorum unus alteri consilia sua et mentem intime aperit, sic Spiritus Sanctus arcane cum paucis familiaribus colloquitur *ὁδηγεῖ εἰς πᾶσαν ἴν ἀληθειαν* loh. XVI, 13. quid sit *εἰς πᾶσαν* ex illo intelligitur: *לְכָל מַכְשֵׁי יְהוָה יְבִינּוּ כָל* conf. Pl. Ll, 8. XCLIV, 10. Ego volo ut interpres sacer sit non *ἀνθρωπος ψυχικός* animal rationale, sed *πνευμαλικός*. In homine simplici habemus vires animæ superiores & *διαρείμας* quæ sunt *πνευμα*, uno nomine rationem: habes inferiores, sive animales *ψυχην*, quæ faciunt animalem hominem, & *σώμα*, qui partium superiorum & inferiorum ordo etiam observatur a Paulo Tess. II, V, 23. In homine regenito vero *πνευμα* est mentis & rationis per vim & gratiam Spiritus Sancti illuminatio, & Sanctificatio unde *πνευμαλικός* est illuminatus & sanctificatus. Quare religio singularem vim habet in interpretatione, & potestatem *facultatis* non *instrumenti*. Lutherus, profecto grammaticus, *grammaticam*, inquit, *debet cedere theologia cum non res verbis sed verba rebus subiecta sint et cedant, et vox merito sensum sequatur et litera spiritum.* (II, 252.) *Scriptura non nisi eo spiritu intelligenda sunt, quo scripta sunt, qui Spiritus nusquam presentius et vivacius, quam in ipsis sacris suis, quas scripsit, litteris inveniri potest.* (309.) Ergo cum Spiritu hoc est *πνευμαλικώς*, cum religione legendæ sunt.

Sed mittam omnia, VIR MAGNIFICE quæ *ὡς ἐν παραδῶ* et in transitu, multorumque laborum congerie scripsi. TV maxime mihi scribendi causa eras, aut ego potius ipse eram, Quamvis enim animus meus
erga

erga Patronos meos O, M, UFFELIOS, BERLEPSCHIOS, HEYDENREICHIOS,
 et BASTENELLEROS, quos pietatis causa nomino, devotione atque observan-
 tia præoccupatus est ita, ut vires meæ multorum aliorum Patronorum ven-
 erationem non sustineant, neque sine periculo Summæ Pietatis erga hos,
 in quorum gratia totus acquiesco, dividi patiantur, tamen, cum *Wendi-
 um* meum manibus TVIS, TVAE que providentiæ trado, hoc nomine
 me simul TIBI commendare volebam, me eum esse, qui benevolentia
 TUAE magnam pretium tanti æstimer, ut in ea conservanda, atque pro-
 merenda omni studio et tempore laboraturus sit. Deus vero omnium
 bonorum auctor civitati suæ, et ecclesiæ nostræ annorum & vitæ
 TVAE in terris prolongatione concedat maximum, de
 quo diutissime latari possit, beneficium. Vale,




os,
n-
re-
os,
li-
ne
ia
o-
m
ne
po
do
am
ni
vp
lli
X
ma
m
s
tr
u
l
w
o
y
a
t



(X2310714)





ooch

DE
PHILOSOPHIA INTERPRETIS
argumentum



ZIZAE
Litteris Huchonianis,

1978
L
1637
(34)

